

XVI. Item præcipimus Alexandrinis, ut restituant Jacobo Pizamilo possessionem omnium earum rerum & jurium, quorum possessionem dictus Jacobus ante guerram proxime præteritam inceptam habebat.

XVII. Item quod possessio terrarum civium Januæ, quæ est in districtu Alexandriae, restituatur a communi Alexandriae, & ab hominibus Alexandriae civibus Januensibus, nec eos impediunt eas terras possidere, & colere, & si qua possessio accepta esset super prædictis, vel aliqua earum cassamus. 10

XVIII. Item præcipimus, ut commune Alexandriae restituat Belengeriis de Bassignana, & Pastoribus de Ritorto possessiones rerum mobilium, si quas eis abstulerint tempore præsentis guerræ.

XIX. Item pronunciamus . . . quod castrum de Arquate omnino destruat, & de cetero non reficiatur, nec reedificetur, & quod prædicta communia Derthonæ, & Januæ debeant dare militibus de Arquate libras CCC. Papienses, hinc ad IV. menses proximos, scilicet libras CL. Papienses pro uno- 20 quoque communi pro damno, & destructione ipsius castri, & domorum suarum de Arquate, quæ sunt in dicto castro, & si quod bannum eis, vel alicui eorum datum esset per commune Derthonæ, quod illud bannum debeat cassari . . . & de ipso banno eximi sine aliqua præstatione: & si qua condemnatio de eis, vel de aliquo eorum facta esset dicto communi Derthonæ, quod illa condemnatio cassa, & irrita esse debeat.

XX. Item præcipimus communi Januæ, & Januensibus, & communi Derthonæ, & Derthonensibus, ne dehinc ad quinque annos nullo modo per commune, nec per divisum debeant se intromittere de castro Arquate, nec de villa . . . nec aliquam fortiam, munitionem facere (*reliqua ut supra a n. XI. de castro Capriata, usque ad numerum XII.*) & cum fuerit prædicta quæstio terminata, debeat illa civitas, cui prædictum castrum, & locus, & jurisdictio fuerit adjudicata in toto, vel pro parte restituere alteri civitati prædictas libras CL. Papienses in totum, vel pro parte secundum quod prædictum castrum, & locus, & jurisdictio fuerit adjudicata in toto, vel pro parte, ita quod nullus homo de cetero (*sequitur ad litteram prout supra a numero XIV. usque ad XV.*) 40

XXI. Item quod Januenses debeant tenere Montaldum sicuti tenent.

XXII. Item quod commune Januæ restituere debeat communi Derthonæ possessionem castri, & villarum Monteliani, & curiæ, & districtus, sicut 50 commune Derthonæ tenebat ante inceptionem hujus guerræ proxime præteritæ.

XXIII. Item castrum Spinolarum destrui non debere eo, quod castrum jacet, ubi dicitur ad Ronchum.

XXIV. Item quod Derthonenses debeant habere, & tenere vallem Balberiam, & homines illius valles, sicut tenere consueverunt ante inceptionem dictæ guerræ, & quod commune Januæ non debeat impedire Derthonensibus prædictam vallem tenere. 60

XXV. Item quod commune Derthonæ absolvat, & restituat omnia in eo statu, quo erant initio guerræ de condemnationibus factis per ipsum commune

tempore istius proxime guerræ præteritæ in Assalito de Monzardino, vel alium pro eo; & si aliquod bannum, vel aliquam poenam dictum commune Derthonæ abstulit, vel auferri fecit ipso Assalito, vel alicui alii occasione illius Assaliti, vel pro ipso Assalito, dictum commune restituere debeat ei, sive eis.

XXVI. Item quod Pasturana non debeat dimitti, sive restitui Derthonæ.

XXVII. Item quod commune Derthonæ faciat redire homines de Gatorba ad habitandum Gatorbam, aut ipsos homines eijciant de terra Derthonæ, & in districtu Derthonæ eos habitare non concedant sine voluntate potestatis, & consilii communis Januæ ad campanam collecti.

XXVIII. Item si commune Derthonæ in hac guerra proxime præterita occupavit castrum, vel villam, vel terram aliquam D. marchioni Cunrado de Malaspina, ut restituat eidem D. Cunrado marchioni possessiones illarum rerum salvo jure proprietatis.

XXIX. Item si commune Januæ in hac guerra proxime præterita occupavit castrum, vel villam, vel terram aliquam D. marchioni Opizoni de Malaspina, ut restituat eidem D. Opizoni possessiones illarum rerum salvo jure proprietatis.

XXX. Item quod Gatorba non debeat restitui Derthonensibus.

XXXI. Item pronunciamus . . . quod commune de Asta de cetero dimittat, & datum, & cessionem faciat Alexandrinis, sive communi Alexandriae infradicta castra, & forcias, & loca, & villas, & terras, & territoria, & jura, & milites, & homines, qui sunt ultra flumen Belbi versus Alexandriam, sive ex parte dicti fluminis, in qua est Alexandria, scilicet castrum, & locum, & villam, & territorium, & jura, & milites, & homines de Garbazola, & castrum, & locum . . . de Calamandrana de Ansfaldenghis, & de Calamandrana Ruffini Crozæ, & de Corbellariis, & aliorum confortium, & de alia Calamandrana, quæ appellatur Monferratensis; & castrum, & locum &c. . . . Rochetæ, quæ dicitur Pelasea; & castrum &c. . . de Sexamo; & castrum de Luazzolo; & castrum &c. . . de Soirano: & si quis de communi Astæ habet in castris, & villis &c. . . . Bubii, & Cassinaschi, & totum id, quod commune Astæ habet ex parte fluminis Belbi, ex qua est Alexandria, exceptis his rebus, quas tenent D. Otto de Carretto, & filii ejus, vel aliquis ex eis, de quibus nullum præceptum sit, nec præcipitur aliquid, nec intelligitur esse factum occasione prædictarum rerum.

XXXII. Item castra, & fortia, & burgum, & villam de Canellis, & quod commune Astæ debeat absolvere prædictos omnes milites, & homines a fidelitate &c. quibus communi Astæ tenentur, & quod prædicti homines, & milites debeant jurare fidelitatem communi Alexandriae pro prædictis rebus eo salvo, quod non intelligatur, quod prædicti milites, & homines debeant absolvi, vel quod sint absoluti a fidelitatibus, de quibus adstricti erant, vel sunt communi de Asta occasione aliarum rerum